IOHANNES CHRYSOSTOMUS
Österreich, Ende 12. Jh.
Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26104
Copyright: Admont, Benediktinerstift



obedierint uoluntati magis quam preceptis dei. Acceperunt ergo tres sen
tentiam quo et tres sunt preuaricatione operati. Sicut ergo preuaricatio per
lignum ita et salus per lignum. Per his autem omnibus gratias agamus deo. Per
dominum nostrum cui est gloria in secula seculorum amen.

Incipit omelia de PENTECOSTEN.

Spiritu sancto superueniente apostolis

HODIE NOBIS TERRA FACTUM est celum non stel
lis de celo in terram descendentibus sed apostolis ad celos ascenden
tibus quia effusa est copiosa gratia spiritus sancti et uniuersum orbem operata est
celum non immutans naturam sed uoluntatem emendans. Inuenit nam
que publicanum et euangelistam effecit inuenit persecutorem et apostolum
reddidit inuenit latronem et in paradysum induxit inuenit mere
tricem et uirginibus coequauit inuenit magos et euangelistas
ostendit. Fugauit maliciam et induxit benignitatem concessit de
bitum et intulit gratiam dei. Exterminauit seruitutem et induxit liber
tatem ideo celum factum est terra et hoc sepius dicens non cessabo. Quid
enim tales stelle sicut apostoli. Stelle in celum apostoli super celos. Que sur
sum sunt inquit apostolus sapite ubi xpc est in dextera dei sedens. Stelle
de igne sensibili apostoli de igne intelligibili. Stelle in nocte lucent
in die obscurantur apostoli in die et in nocte suis radiis. hoc est uirtuti
bus effulgent. Stelle orto sole obscurantur apostoli sole iusticie resplen
dente sua claritate lucescunt. Stelle in resurrectione cadent
sicut folia apostoli in resurrectione rapientur in nubibus. Et in illis quidem
syderibus alius antifer alius lucifer appellatur in apostolis autem antifer nul
lus est omnes luciferi. Et ideo stellis maiores apostoli et quicumque
eos luminaria uocauerit mundi non peccabit non solum dum
essent in corpore sed etiam magis nunc quando de hac uita migrarunt.